

C

C. l. 94

Alteyab. D. r. f.

or
H. 17

33

II 2 C. 35

~~2 N 35~~

75

Orationes duæ

M. IOACHIMI
GARCAEI BRANDEN-
BURGENSIS MARCHICI,

VNA

De anno imperiorum periodico, in Academica Philosophicæ festiuitatis Panegyri, cum Collegij Philosophici in Academia Francofordiana Decanus & Procancellarius viris aliquot reuerendis ac doctissimis, iuuenibusq; nonnullis ornatissimis Magisterij gradum Idib. Aprilis tribueret.

ALTERA

De Græcæ linguæ dignitate, necessitate ac utilitate, cum eiusdem linguæ à Senatu eiusdem Academiae laudatissimo Professor publicus designatus esset, 5. Cal. Iul. anni huius 1591. habitæ.



*Francofordiæ ad Oderam exprimebat Andreas
Eichorn, Anno 1591.*

ILLVSTRIBVS
GENEROSIS ET INCLY-

tis Dominis, Comitibus de Linar, &c.
DOMINO ROCHO, à CONSILIIS IL-
lustrissimorum Dominorum Hessiaci, Saxonici atque
Brandenburgici &c. & rei militaris summo Præ-
fecto, Domino compatri gratiosissimo.

DOMINO IOHANNI CASIMIRO,
Illustris, Electoris Brandenburgici
Consiliario.


ET

DOMINO AVGVSTO, ACADEMIAE
Francofordianæ **RECTORI** Magnifico, itidem Do-
mino Compatri reuerenter colendo, Dn. **ROCHI**
filijs, Dominis suis benignissimis, submissè
offert hanc Orationem

M. Ioachimus Garcaus.



DE ANNO IMP
PERIORVM PERIODO
Oratio Id. Apr. habita.

 *V*æ precatus sum à Deo immortali, Magnifice D. Rector, Illustris & generose D. Comes, Reuerendi, excellentissimi, clarissimi, doctissimiq; viri, nobilis ac studiosa iuuentus, quæ, inquam, precatus sum à Deo immortali, illo die quo more institutoq; maiorum auspiciò paribus Dominorum Collegarum suffragijs amplissimi ordinis Philosophici Decanus renunciabar: Vt ea res mihi, magistratuiq; meo, Collegio nostro laudatissimo, laudatissimæq; nostræ Academiæ faustè, feliciter, prospereq; eueniret: eadem ab eodem immortali Deo haud difficulter non sine maxima vestra congratulatione me obtinuisse impensè gaudeo.

Produco enim in Academica hac Philosophicæ festiuitatis Panegyri in conspectum vestrum viros & iuuenes aliquot reuerendos, doctissimos, ornatissimos, qui eos fecere in artibus, quas vocant, humanitatis progressus, vt præmissis accurato dierum aliquot examine digni à nostro Collegio iudicati sint, quibus summi in Philosophia honores, laborum grauissimorum præmia,

A 2 decer

decernantur. Qui ipsi frequenti vestro confesso mirifice
reficiuntur, & misericordem Deum ob honores istos
cum salute obtinendos, & ut vestrae mentes atq; senten-
tia cum voluntate suffragijsq; amplissimi nostri Colle-
gij consentiant, eaq; res vobis, ac studiosae iuventuti
gaudium letitiamq; afferat, precantur.

Sic autem mentes sententiaeq; vestrae cum volunta-
te suffragijsq; amplissimi nostri Collegij consentient, si
ipsi domini Candidati publica profectuum suorum spe-
cimina vobis ediderint: quod antequam faciant, dicen-
di de aliqua re meae mihi partes necessitatem imponunt,
cui morem gerens de periodica imperiorum ac politia-
rum mutatione differere constitui, doctrina hoc seculo,
quo reuera mutatio mutationi mutationem, ruina rui-
nae ruinam parit & adfert, quoq; omnia fatis in peius
ruunt, ac retrò sublapsa; ut cum Poëta querar, ferun-
tur, non minus vtili, quam summè necessaria, de qua
breuiter temporis ratione habita differentem benignè
audiatis quaeso: cumq; dominis Collegis, quorum ego
neq; beneuolentiam erga me ignorare, nec autoritatem
asperrari, nec voluntatem negligere debui, adhiberi
hunc à me laborem placuerit, à vobis, ut me officio po-
tius, quam dicendi studio hanc suscepisse operam ac mu-
nus existimetis, peto.

Id autem quod maximè petendum est à vobis id-
circo non peto, Auditores, ne de vestra sapientia, atque
de ve-

de vestra humanitate dubitare videar. Est autem pes-
tendum, ne oderitis ingenium, ne inimici sitis industriae,
ne studium qualecunq; exagitandum putetis. Illud peto,
vt si negotium ipsum mediocri à me industria explica-
tum videritis, hæc qualiacunq; ornamenta adiumento
mibi potius, quàm impedimento esse malitis.

Quemadmodum prouentus est, cum fructus alicuius
ius anni magni atq; vberes sunt: sic in familijs ad cer-
tum tempus gignitur numerus magnus virorum illu-
strum: tempore autem eo exacto, ac benignitate cæli
immutata, vt in agris, ita in familijs sterilitas sequi
consuevit. Illius rei Aristoteles exempla inducit fami-
liam Alcibiadis, quem alicubi *επατηνικώτατος* nominat,
quòd bello fuerit aptissimus, posteri verò eius crudelis-
simi, & bestialis immanitatis autores. Periclis & So-
cratis posteri facti sunt pigri, & ad res gerendas inepti,
cum tamen ille fulgurare, tonare, hic suauitate vocis lu-
sciniam æquare, laude sapientiæ omnes mortales supe-
rare iudicaretur. Numero autem quinario ferè defini-
tales mutationes & Regum in Lydia historie testan-
tur, ipsumq; Pythiæ oraculum Cræso, quia quintus esset
à sui generis autore pœnam persoluendam prædixit,
quia videlicet Gyges primum Lydorum Regem domi-
num suum astutia vxoris regie interfecisset. Idem in
polityjs & imperijs obseruari debere vel inde, vt alia
multa prætermittam, constat, quòd vt corpus quadra-

A

3

tum

tum, quod est perfectissimum periculosissima uti vale-
tudine Medici censent, ita quod ad summam perfectio-
nem pervenit imperium ruinae totali vicinum sit, cum
arcu nimium intenso chordam rumpi doceat experien-
tia. Quis autem sit annus imperiorum periodicus dis-
sidentibus inter se sententijs eruditi explicarunt. Di-
vinus Plato de vero imperiorum numero aliquid sub
persona Musarum vaticinatus est, & passim libris suis
inseruit, sed ita involute, ut verè Musa & diligenti in-
quisitione opus sit, & tamen sensum vix deprehendere
quis posse videatur. Quinimò si qui Aristotelis istum
locum, quo Praeceptoris sui sententiã attingit, seu Pla-
tonis etiam aggrediuntur, aut in textu corruptelam
esse suspicantur, aut se simpliciter explicare ista posse
negant, aut si tentant, ita frigide perficiunt, ut poste-
riorum verborum explicatio priorum interpretationi
omninò conformis non sit. Verum igitur imperiorum
numerum Plato statuit eum, qui duas contineat har-
monias, cumq; primæ naturales harmonie sint ἡ δια-
τεσσάρων, ἡ ἡ δια πέντε, hæc Aristoteles explicans dicit,
ὅταν τοῦ διαγράμματος ἀριθμὸς γένηται τετραγώνου. cum nume-
rus diagrammatis, id est, quadrati, fuerit factus soli-
dus. Diversi diversum per vocabulum τοῦ μένους Platonis
interpretantur: alij fundamentum seu fun-
dum, alij radicem seu cubum. Si pro radice sumamus,
dicamusq; sesquitertiam radicem esse 4, ternario pro
commu-

communi ternario sumto, & haec quinarium iungamus, constituentur duae harmoniae, una dicitur τεσσαράκων, altera δὲ πέντε. Horum singulorum numerorum cubus si iungatur, ut cubus de 4, 64. de 3, 27. de 5, 125. efficiuntur anni 216, quibus finiuntur imperia. Alij τὸ ὑπερβασιλεύοντες pro fundo seu fundamento, dixerunt quadrati τὸ ὑπερβασιλεύοντες esse 12, quae duodecies duodecim duodecies multiplicata efficiunt annos 1728, quem numerum ad unguem implevit monarchia Assyriorum à Nino Rege vsq; ad Alexandrum Magnum: totidemq; numerantur ab eluisionibus aquarum vsq; ad euerfionem templi ac Reipublicae Iudeorum.

Verùm alij horum mille septingentorum viginti octo annorum, partem subtriplem superpartientem octavas, tribuunt mutationibus principatum, nempe quingentesimum & duodecimum, & anno quingentesimo insignes quasdam imperiorum ac politiarum mutationes plerunq; accidisse, & paucis annis vel deficientibus, vel abundantibus mirabiles regnorum catastrophas obseruatas esse, testimonia eius rei plurima, quae maiori ex parte à parente meo, beatæ recordationis, collecta sunt, adducentes, memoriae prodiderunt.

Anno enim ab exitu populi Israëlitici ex Aegypto quadringentesimo & octogesimo ceptum est extrui templum à Salomone. Idem templum direptum & destructum est à Nebucadnesare anno à condito templo

Salomo

Salomonis 422. Captiuitas quoq; Iudaeorum ad hunc numerum quingentorum annorum quam proximè accedit: istæ enim septuaginta hebdomades Danieli ab Angelo descriptæ annos 490 nobis exhibent. Anno postea secundo post reditum, Cyri iussu & mandato incoârunt instauracionem templi solo à Nebucadnesare æquati, licet vicesimo demum anno, à vicinis impediti, opus hoc absoluerint, quod annos postea quingentos durauit, vt ita ab instauracione templi vsq; ad Christum, elapsi sint anni 516. Anno enim ab instauracione primo & quingentesimo Herodes gratificaturus Iudæis templum illud totum renouatum magnificè exornauit annis ante Christum natum 15. quod Vespasianus tandem capta vrbe incensum funditus deleuit.

Sic & inter liberationem populi Israëlitici ex captiuitate Babilonica, & incarnationem Filij Dei anni 536 intercesserunt.

Monarchie quoq; duæ potentissimæ, Persica nimirum & Græca annos 491 compleuerunt. Assyrij quingentesimo & vicesimo anno Asia excedere vi Medorum compulsi sunt. Atheniensium quoq; regnum florentissimum annos 490 à Cecrope vsq; ad Codrum durauit. Eundem terminum Lacedæmoniorum Rempublicam à Lycurgo constitutam circa Alexandri ætatem, sub qua concidit, attigisse Historiographorum auctoritate reberatur. Brustæ à personæ ætate, qua à Regibus ad Cos.

ad Cos. imperium translatum fuit, annos 450. floruit.
Nec Iulij ^{novaginta} annum quingentesimum excessit,
nisi annis duobus. Hinc capta est & horribiliter va-
stata Italia à Gensericò Vandalorum Rege, mox secuti
sunt Gotthi, qui Italiam ab imperio Romano auulsam,
& occupatam duriter afflixerunt. Constantinus sedem
imperij Constantinopolim, relicta Italia annis elapsis
489. transtulit.

Ordo Electorum Imperij ab Ottone tertio, qui ob
excellentem sapientiam Mirabilia mundi nominatus
est, anno Christi supra millesimum secundo, licet Vr-
spergensis mortem Ottonis huius in primum supra mil-
lesimum annum reijciat, Blondus verò biennio ante hoc
decretum de Electoribus factum esse scribat, institutus,
manet nunc firmus annos 589. & periodicum hunc
numerum superavit, vnde & animi Principum illo-
rum septem paulatim distrabuntur, quod bellici rumo-
res nunc increbrescentes in lucem proferent. Cum enim
Moguntinus, Treuerensis, & Coloniensis toti in eo sint,
vt Pontificum Romanorum auctoritatem asserant, atq;
inde multum sanguinis Christiani profundant, Montis
Belligardie Duci crebras impressiones faciant, obicem
illis ponent Principes nostri, ne vbi vicinos Ducatus
occupauerint, ac sedes in illis stabiles fixerint, nostræ
quoq; Patriæ, & vicinis regionibus bella ac damna
inferant: quos Principum nostrorum conatus Domi-

B

nus. exo

nus exercituum, qui docuit manus David ad prælium,
& digitos suos ad bellum, secundet piè rogamus.

Nec tamen regnum Polonicum hunc numerum
superare multum potuit: neq; regnum Vngaricum ex-
cedere valuit. Licet enim regna hæc florere adhuc vi-
deantur: pristinum tamen eorundem statum ex monu-
mentis Historicorum fideliter repetens, & hodiernū
eidem conferens, tantum quasi rudera quædam magni-
ficentissimi cuiusdam ædificij conspici non inficiabi-
tur. De causis harum mutationum variae sunt erudi-
torum opiniones. Nos ad tria vitia, quæ à legibus
præcipuè puniuntur, furtum, homicidium, adulterium
easdem analogicè reuocamus, ac politias ferè semper ob
inexplebilem auri cupiditatem, ob tyrannidem & cru-
delitatem, deniq; ob libidinem & luxum euersas esse
plurimis exemplis comprobare possumus. Ob exactio-
nem verò nimiam rariùs, ob luxum verò & crudelita-
tem frequentius celeberrimas Respublicas concidisse,
præter historias grauissimæ rationes ostendunt ac euin-
cunt. Redundant enim longè maiora damna in subdi-
tos ab adulteris & crudelitate, quæ tamen ipsa non tot
Res euertit publicas, quot libido, quàm à pecuniæ ab-
latione: licet hæc etiam, præcipuè si vsuræ exerce-
antur, plurimùm noceat. Illis enim, quæ dixi libidinem
& crudelitatem, honestas & vita hic nunquam repa-
randa petuntur, hæc, quam dixi exactiorem nimiam,
extrinse-

extrinseca tantum bona, quae reparari queunt, licet nervis Principum incisus ipsum caput atq; corpus languescere tandem necessum sit. Ea quae de luxu & tyrannia de dixi, exempla comprobant. Regnum Assyriorum, quod ferè 1300 annos steterat Sardanapali luxu concidit. Hic enim trigesimus octavus & postremus Rex fuit omnium hominum longè effæminatissimus, inter mulierculas perpetuò desidens, colum & lanam traetans, sceptrum & plectrum eodem loco habens, adeò totus immersus voluptatibus, ut vix unquam sordibus luti voluptatum cœnosi emerisus conspiceretur: quibus rebus abalienati ab eo duo quidam eius præfecti, Belochus Babylonie, Arbaces autem Medorum, facta coniuratione, cum turpitudinem eius atq; mollitiem vulgò traduxissent, bellum susceperunt. Ipse cum suo seminiro comitatu vix tandem progressus in aciem re malè gesta profugit in regiam, & constructa pyra, se diuitiasq; omnes, hoc vno facto, ut quidam ait, virum imitatus, in ignem abiicit. Hi verò duo Præfecti monarchiam post inter se partiuntur, & Belochus quidem Babylonis, Arbaces vero Medorum atque Persarum Rex factus est. Darij regnum libido fregit: nam omnis generis coquos, cupedinarios, fartores, artifices, magistros gulæ, & unguentarios, ne quid ad corporis voluptates deesset, in castris habuit. Quantus etiam fuerit alioqui Regum Persarum splendor & ap-

paratus, non ab vno memoriae proditum est. Solebant, ut ait Cicero, plures uxores habere: his autem uxori- bus ciuitates attribuerent, ut haec mulieri redimiculum praeberet, illa hunc vel illum ornatum. Iste igitur Darius contra Alexandrum Philippi Macedonis, cum nulla pacis conditiones ab hoc acciperentur, in Asiam profectus, in fuga, in qua, cum aquam turbidam bibisset, & cadaueribus inquinatam, negabat vnquam se bibisse iucundius: nec enim sitiens vnquam biberat: à suis hominibus rebus humanis exemptus est. Alexandrum in modum Pardalidis non vi, aut ferro, sed otio ac luxu superatum esse historiae testantur.

Haec pauca de luxu attuli, de crudelitate ac tyrannide multo plura, si tempus, & scopus nostri huius aetatis longiorem orationem ferre possent, allaturus. Sit hoc vnum instar multorum. Caesaris tyrannide & seueritia Solem nihil vidisse indignius, eumque omnia iura diuina & humana peruertisse scribit Cicero, imò libertatem & faciem Reipublicae nullam Cesare victore fuisse idem queritur: qui tamen Caesari in restitutione Marcelli nomine populi Romani non modò excubias et custodias, sed etiam laterum suorum oppositus & corporum pollicetur.

Præter istas autem tres enumeratas causas, & alia quaedam est ex relatione Principum ad subditos: nimia familiaritas, & auersatio nimia, quarum tamen
haec

hæc rariùs, illa frequentiùs florentissîma debilitauit
ac fregit imperia: siquidem ex nimia familiaritate
contemptus, ex auersatione odium oritur. Humanis &
proximis causis diuinam adiungimus, Deum videlicet,
transferentem ac stabilientem regna, & quidem pro-
pter peccata cum populi, tum Principum, quod vel sex-
centis posset exemplis demonstrari, nisi & ex lectione
sacra, & quotidiana experientia veritas dictorum con-
staret: & verò temporis rationem habere cogerer, neq;
etiam beneuolentia vestra abuti nollem, neq; si vellem,
deberem.

Nunc igitur cum nihil sit tristius, quàm florentis-
simorum regnorum ruinas, quæ nunc Germaniæ quoq;
& toti Europæ impendent, intueri, ardentibus precibus
vobiscum peripsum Deo commendo, eumq; deuotè ro-
go, vt mitiget pœnas, & propter Ecclesiam aliqua ho-
spitia seruet, donec ipse Filius Dei, sedens à dextris vir-
tutis Dei, cum multis millibus & omnibus Sanctis se
nobis in iride ostendat, nosq; sibi in occursum rapiat,
quod vt fiat, cum ipsa creatura Vanitati subiecta no-
biscum parturiat ac ingemiscat, propediem, eum cui iu-
dicium à Patre datum est, supplices rogamus.

Deinde me conuerto ad Dominos Auditores ite-
rum petens, vt illorum mentes atq; sententiæ cum vo-
luntate suffragijsq; amplissimi nostri Collegij consenti-
ant: cui meæ petitioni vt suus apud eosdem locus relin-
quatur,

B 3 quatur,

quatur, agite doctissimi & ornatissimi domini Candi-
dati excitate dona quæ in vobis sunt non vulgaria, &
frequentissimo huic magnifica autoritate, illustri ac
generosa præstantia, reuerenda dignitate, doctrina ex-
cellenti, humanitate eximia, industria singulari con-
spicuum virorum ac iuuenum confessui profectuum
vestrorum, quod antea petij, specimina, ne non tam te-
stimonium virtuti, quàm beneficium ambitioni tribu-
tum esse putent, exhibete; summam vobis Dominorum
Auditorum beneuolentiam atq; attentionem, præcipue
si res grauissimas oratione breui & perspicua explicue-
ritis, pollicentes, summosq; propediem & augustissimos
honores ex voluntate Collegij nostri, & consensu Illu-
strissimi ac potentissimi Principis ac Domini, D. Iohan-
nis Georgij, Marchionis Brandenburgici, S. Romani
Imperij Archicamerarij & Electoris, Domini nostri
clementissimi, qui Celsitudinis suæ Filij, Reuerendissi-
mi ac Illustrissimi Principis ac Domini, D. Ioachimi
Friderici, Postulati Administratoris Archiepiscopatus
Meideburgensis, Episcopi Lebusiani, Academiaeq; no-
stræ Cancellarij dignissimi & clementissimi vi-
ces clementissimè mihi demandauit,
consecuturi, &c.

Oratio altera,
Q V A M A M
P L I S S I M O V T R I V S que
arcis Brenni Marchiæ Senatui in testi-
monium obseruantia ac gratitu-
dinis debitæ offert

M. Ioachimus Garcæus.



ORATIO ALTERA,
DE GRAECAE LINGVAE
dignitate, necessitate ac utilitate,
5. Cal. Iul. habita.

Hoc in more positum, Illustris & generose D. Comes, Rector Academiae nostrae Magnifice, Magnifice D. Prorektor, dignitate reuerenda, doctrina excellenti, humanitateq; eximia praestantes viri, nobiles ac ornatissimi iuuenes, est, inquam, hoc in more positum, institutoq; maiorum, ut ij qui beneficio Senatus Academici laudatissimi dignitatem aliquam consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij istius, cum laude dignitatis collatae, & suae industriae pollicitatione coniungant, qua in oratione nonnulli aliquando digni istis honoribus reperiuntur: pleriq; autem hoc persciant, ut tantum studijs istis quorum cura sibi demandata est, tribuendum esse videatur, vnde etiam quod nobis & posteris profit redundet. Mihi quidem apud vos de mea industria dicendi facultas non datur: non quod nullam omnino in hoc Graecae linguae studio, a quo nullum aetatis meae tempus abhorruisse, praeter Patriam, Brunswiga, Helmstadia & Viteberga, quae mea quaedam istius generis Specimina

Specimina videre, testes erunt, adhibuerim: sed quòd
verear, ne arrogantis sit apud vos de seipso dicere: in-
grati tacere. Nam & quibus studijs hanc qualemcumq;
doctrinam & dignitatem etiam consecutus sim, memet
ipsum commemorare per quam graue est: & silere de
tantis amplissimi Senatus beneficijs nullo modo possum.
Quare adhibebitur à me certa ratio, moderatioq; dicen-
di, vt quid ab illo acceperim commemorem, quantaq;
ea sint ostendam: quare dignus singulari illius iudicio
sim ipse modicè dicerem, si necessum esset: illos existi-
mâsse scio qui iudicârunt. Versabitur igitur præcipuè
oratio mea in beneficij huius nuper in me collati, hoc est,
Professionis Græcæ linguæ commendatione ac prædi-
catione, cuius præstantiam & augustiam ex ipsius di-
gnitate, ac necessitate summa, vtilitatibusq; maximis
arguam, in spem maximam & quemadmodum confi-
do, verissimam adductus, vos qui corporibus adestis
animis quoq; adfuturos esse.

Ac primum quidem quæ potest esse maior linguæ
Græcæ dignitas ac præstantia, quàm quod verbi diui-
ni oracula, quibus, si autorem spectes, nihil sanctius, si
res, nihil augustius, si antiquitatem, nihil prius, ac pro-
pterea honorabilius, si certitudinem, nihil verius, si v-
sum, nihil vberius, ista lingua descripta extant. Cum
enim, vt de veteri testamento primum dicam, Deme-
trius Phaleræus regie bibliothecæ præfectus Philadel-
pho le-

C

pho le-

pho legislationis Iudaicae volumina deesse significasset,
& eadem figuris Hebraicis ac voce gentili conscripta
inexplanabilia existere scripsisset, ac Regi de requi-
rendis ab Eleazaro ex unaquaque tribu Legum peritis
consilium dedisset, nullis non sumtibus Rex optimus
pepercit, Seniores vocavit, mittentibus, Deo & Elea-
zaro, pretiosissima & splendidissima animi grati signa
ostendit, missis incredibilem munificentiam exhibuit,
utque operi manum admouerent rogavit, eoque per septua-
ginta duos dies perfecto & praegaudio exiliuit, & u-
numquemque optimis stolis, & auri talentis duobus do-
navit, scribens ad Eleazarum, cui satis magnifica de-
stinavit munera, ut si quis istorum interpretum vellet
ad illum reuerri, eum permetteret, se enim vehementer
eruditorum conuersatione delectari, & diuitias suas
libenter talibus impartiri. O pietatem admirabilem,
atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque de-
corandam! Rex potentissimus nihil magis habet in vo-
tis, quam ut gloria Dei quaeratur, Scholae instauren-
tur & conseruentur, studiumque verbi praecipue floreat
& vigeat. Felix illud seculum, quod talem vidit: feli-
cius idem, quia complexum est: felicissimum nostrum,
quod illius vestigijs insistentes, Principes nostros opti-
mos & clementissimos miratur ac suspicit, utinam ve-
ro miretur & suspiciat perpetuum! quod illorum qui-
bus Demetrii vices demandatae sunt cura ac vigilantia
præsta-

præstabitur: cum rari sint quos Ecclesiarum & Scho-
larum sollicita cura habeat, rari qui re & nomine sint
earum nutritij, qui condoleant super contritionem Io-
seph, ut Amos queritur.

Atq; hæc Græcæ linguæ dignitas satis est eximia,
quod veteris instrumenti libri eadem sint descripti:
præstantior verò est ista, quod noui fæderis, quod mul-
to magis excellit in gloria, libri eadem lingua expressi
sint, ac tanto quidem, quanto facies Domini reiecta
velamine præstantior esse Apostolica voce perhibetur.
Etsi enim vnicus Matthæus Hebræo scripsisse tradi-
tur ab Augustino in consensu Euangelistarum, & Ni-
cephoro in historijs, eloquio: cæteros tamen Græco vsos
esse sermone vno ore omnes profitentur.

Apostolis sancti Patres succèssere, quos omnes ferè,
Hilario, Augustino, & paucis alijs exceptis, græcè lo-
cutos esse in confesso est. Ac licet illorum opera in ser-
monem latinum translata sint, ac propterea plurimi
conuersiones illas, quàm Græca scripta legere malint:
tantam tamen Erasmus & Camerarius, viri iuuandis
optimis studijs nati, in translationibus quorundam non
modò barbariem, sed etiam inscitiam ac somnolentiam,
vt mirarentur vlli Græcorum Latinam linguam non
adeò alienam, sed ignoratam suam esse potuisse, se de-
prehendisse testantur, ac verbis istis ἴτω δὲ κτ' ἔσκη
istam seculi sui oscitantiam ac somnolentiã deplorant,

proceresq; Urbis Romæ, olim arcis orbis & capitis gen-
tium, nunc sentina pessimorum hominum, ac teterrimæ
turpissimorum sordidissimorumq; colluiei, Eccle-
siasticos ad Scriptores istos corrigendos diligenter hor-
tantur. Ac, quod sanè dolendum, & meritò taxan-
dum est, nonnulli interpretum non verba vel sensum
auctoris, quem vertendum susceperunt, appendunt, sed
vel minus, vel plusculum, tanquam Paraphrastæ, non
velut interpretes, pro sua libidine pleraq; referunt. Id
quod Nazianzeni orationes à Rufino versæ docent,
Iosephi volumina, & historia Ecclesiasticæ: peruersio-
nes dicas, non versiones. Conduxerat olim (vt videtur)
Cassiodorus Senator in suo infelici seculo, quando cum
Romano imperio optimis simul literis profligatis, bar-
baries apud Italos non solum in palatio, sed etiam in
Scholis regnare cœpit, Epiphanium quendam literato-
rem, Græcæ peritiam linguæ iactantem, vt Theodori-
tum, Sozomenum, & Socratem, tres autores Græcos,
qui historiam Ecclesiasticam à Constantino Aug. vsq;
ad iuniorem Theodosium proprijs quisq; libris seorsim
conscripserant, latinitate donaret. Id verò infeliciter
præstitit, & quidem adeò, vt ne quidem corrigi ista
peruersio potuerit, sed de nouo alia versio instituenda
fuerit. Quam interpretum socordiam & negligentiam
considerans Themistocles, Athenis primùm, & mox to-
ta Græcia fugatus, & à Persarum Rege, vt sui animi
senten-

sententiam proferret iussus, anni spacium prius petijt,
quo Persarum linguam addisceret, cum in interpreti-
bus fides & diligentia plerunq; desiderari soleant.

Accedit huic dignitati & hæc quod Iurisspruden-
tia hac quoq; lingua non infrequenter utatur, cum
non incognitum putem, in Pandectarum libris integra
responsa Græca existere, & subinde ex Platone, Ari-
stotele, Homero, & alijs præclara testimonia Græca
produci: quæ omnia quomodo ignarus Græcæ linguæ
rectè assequi possit, non satis intelligo. Sed & Medici-
na vniuersa ac Philosophia tota, omnisq; humana sa-
pientia hac lingua explicata est: & ut maximè illa in
Latinum sermonem conuersa sint, tamen præstat, ut
Christophorus Hegendorphinus, ijs artibus, (ut ex eius
lucubrationibus apparet) quæ ad maiores facultates
aspirantem non tantùm ornant, sed & ei maximè ne-
cessariæ sunt, probè imbutus, laurea q; Doctoratus in
vtrinq; iure decoratus, in suo iuris ciuilis tyrocinio as-
serit, ut tuis potiùs, quàm alienis credas oculis. Nam
rarò Græca vertuntur, quin ab interpretibus, aut ali-
quid prætermissum, aut aliquid non satis commodè La-
tinis verbis redditum sit. Est hæc linguæ Græcæ di-
gnitas summa, quod velut τὰ κείον quoddam est ac cella
penuria, vnde omnis possit sapientia diuina & huma-
na depromi: Ex hac linguæ huius dignitate eximia de
necessitate quoq; eiusdem indicari facile potest. Cum

enim vtrumq; testamentum & vetus & nouum hac
lingua descriptum sit, cum legalis scientia Codicibus, ti-
tulis & vocabulis Græcis constet, cum vniuersa Medi-
cina adeoq; tota Philosophia à Græcis ad nos manarit,
ecquis sane mentis homo linguam hanc non magnoperè
excolendam esse imprudenter ac impudenter asseret?
Ac studium quidem verbi quin plurimum hac lingua
iuuetur dubium non est, neq; etiam ambiguum ad eius-
dem verbi Dei tractationem hanc linguam vt necessa-
rium adminiculum requiri. Iuris verò & Legum stu-
diosis eandem summè esse necessariam paucis ostende-
mus, qui plurimi illorum ad se Græca non pertinere o-
pinentur. Hi verò quibus quæso oculis legum libros a-
spicere audent, quarum autores apparet præclarè in-
structos fuisse hac lingua, de qua dicimus. Quàm multa
ex Græcis & Latinis historiis repetunt! Quàm reue-
renter assurgunt Homero, quoties eius sententias ve-
lut oracula citant! Alicubi pronunciant ex verbis De-
mosthenis, alicubi ad verbum transcribunt Platonis
dicta. Et quidem recentiores DD. disputant, valere
in causis Philosophorum ac Poëtarum autoritatem,
quia maiorum instituta, moresq; & grauissimas ratio-
nes honestorum officiorum, deniq; vim omnem iuris
naturalis sapientissimè describunt. Quæ tandem impu-
dentia est, eas literas contemnere, de quibus ipsi Legū
conditores honorificentissimè sentiunt. Quia verò huius
contemptus

contemptus rationes afferunt, quòd omnia quæ in Pan-
dectarum libris extant aptissimè reddita sint, edisserant
nobis, quid facturi sint imperiti Græcæ linguæ, si in
voces Græcas Latinis literis exaratas, non rarò legi-
bus aspersas, & non Latinè redditas inciderint? Ve-
luti est orphanotrophos in l. 30. C. de Episc. & cler. &
Xenon in l. si quis C. eod. tit. & l. unica. §. sed sumus.
C. de Latina liber. tol. & archigerontes diœcetae, in l.
5. C. de Episc. audien. & epistalma in l. ben. C. de Qua-
drien. præscr. Item Thlibias in l. hi quoq; ff. ad l. Cor-
nel. de sica. Item buprestis cantharides in l. eiusdem le-
gis ff. ad l. Cornel. de sica. Prætereà non negligenda
sunt Iuris studioso Ethica, Politica, Oeconomica, quæ
ex Philosophorum libris manarunt: discrepant autem
Ethica Iurisconsultorum & Philosophorum, quod hi
in genere, isti in specie ista tradant, verbi gratia: Phi-
losophi disputant, non licere alteri alterum occidere:
hæc thesis est generalis. Iurisconsulti verò in libris suis
hypotheses tradunt, an & quando alteri liceat alterum
occidere, vt est videre in l. Itaq; si seruum. ff. ad l. A-
quilam. & sic de alijs. Quid? quòd, quid sit ius vel
naturale seu gentium, quid sit ius posituum & politi-
cum, quæ cuiuslibet iuris sint speties, quæ propria, seu
qui effectus, quomodo inter se discrepent, quomodo in-
ter se conueniant: quid sit iusticia, vel vniuersalis, vel
particularis, quid ignorantia, quàm multiplex, quæ
excu-

excusationem mereatur, quæ nulla excusatione digna sit: quæ delicta sint punienda, quæ toleranda, aut certè mitius punienda in libris Platonis & Aristotelis exactissimè disputantur. Et affirmare non sine ratione & iudicio optimorum Iurisconsultorum ausim omnia quæ paulò ante commemoravi, & multo plura, longè exactius à Philosophis tractari, quàm ab ipsis LL. interpretibus. Quæ ut iuris Candidatus probè intelligat, optimè sibi consulat, si, priusquam animum ad Iura civilia appellat, in Philosophia etiam, quàm Græca lingua optimè explicari intellectum est antea, aliquantum operæ & studij ponat. Fit enim in legibus mentio veneficiorum, abortionum & earum rerum, quibus pigmentarij uti solent: aliquando disputatur, quoto mense perfectus nascatur partus, aliquando quot liberi nasci possint, & alia quædam Physica disputantur in ll. ut l. si pater. ff. de solution. quæ certè à Medicis, quorum optimi quicquid Græcè locuti sunt, sumi debere, extra omnem dubitationis aleam situm est. Taceo multos titulos Digestorum ferè totos Græcos esse, Constitutiones nouellas Græco idiomate constare: taceo Autenticas collationes: prætereo institutiones Theophili, quas multa valdè luculenter & disertè explicare, eaq. à nullis ferè interpretibus hætenus rectè intellecta Hegendorfinus scriptum reliquit. Mitto historiarum cognitionem, quæ iuueni ad multa in legibus intelligenda utilis

vt illissima futura est, in quo genere multum vincunt
Latinos Græci Poëtæ & Historici. Nam Romani do-
mesticas res tantum ornare studuerunt; at Græci omni-
um gentium atq; imperiorum historias complexi sunt,
easq; ita descripserunt, vt verius philosophentur in ip-
sorum negotiorum atq; consiliorum expositione, quam
illi qui in scholis nuda præcepta tradunt, ac verè Phi-
losophiam ex umbra & puluere in Solem educunt, hoc
est, vsum eius in vita atq; negotijs ostendunt. Cumq;
absit historiatalis, Cicerone teste, literis Romanis, po-
stulare solebat Quintum Atticus, ut historiam ederet,
quod videretur non solum eorum studijs qui literis de-
lectantur, sed etiam patriæ hoc munus debere, vt hæc
per illum salua, per eundem quoq; ornata esset. Quod
verò omnium maximum est, norunt omnes artis boni
& æqui studiosi in C. Iustiniani Imperatoris in tit. de
summa Trinitate & fide Catholica, quæ in synodo Ni-
cæna constituta sunt paucis recenseri, quæ cum Græco
sermone vnà cum reliquis tribus principalibus descri-
pta sit, ad hanc quoq; rectius intelligendam huius lin-
guæ cognitione, per latissimum legalis scientiæ campū
ambulaturi se instrui curabunt. Atq; vt ista rectius in-
telligantur, historie quoq; Ecclesiasticæ cognoscendæ
erunt, quas ipsas à Græcis autoribus collectas ac de-
scriptas esse iam antè monuimus.

Cæterum de natura, de corporum humanorum tem-
D peratione,

peratione, affectibus, cura ac remedijs quos habemus
scriptores, qui plenius id genus doctrinae complexi sunt,
quam Græcos? Nam qui inter Arabes principem lo-
cum obtinet Auicenna, is se Galeni fatetur interpretem
esse, at is ipse quam prodigiosa interpretationum cali-
gine, ac penè Cimmerijs tenebris inuolutus sit scripta,
sua legenti non est obscurum: quæ causa est, ut & sen-
tentia eius vix multis in locis intelligi possit, & inge-
nia ad dulcius doctrinae genus adsuefacta isto horrido
& prodigioso sermone offensa ab eius lectione resiliant.
Quid? quòd omnes sanioris Philosophiæ partes hac lin-
gua optimè descriptæ sunt. Quæ est enim scriptio de
motibus cœlestibus illustrior quam Græca? Quæ scri-
ptio de natura rerum luculentior quam Græca? Quæ
de constitutione corporum nostrorum, cultu eorundem,
ac moderatione animi corpori præsentis emendatior
& solidior quam Græca? At de historijs imperiorum
& rerum gestarum totius mundi quid dicemus? An
non infantes, an non in densa rerum caligine versari
videbimur, nisi illa huius lingue luce discussa fuerit?
Vbi enim historia sacrorum librorum desinit, ibi Græ-
ca historia incipit, & manifestè apparet singulari Dei
consilio sic omnia ordinata esse, ne deesset generi hu-
mano continua historia præcipuarum rerum inde vsq;
ab initio mundi, vnde primordia & fontes veræ reli-
gionis inuestigari & perspici possent. Ut non iniuria
dixerit

dixerit Cicero, posteritatem à Græcis scriptoribus Phi-
losophiam & omnes artes habere, quorum operibus re-
purgandis, si enim versiones veterum sermoni Græco-
rum illorum contuleris, stridorem potius sartaginis,
quàm animantis vocem te animaduvertere putes, etiam-
num homines docti non minùs occupati sunt, quàm
Hercules olim in Augiæ stabulo repurgando fuisse
traditur. Tantam igitur linguæ Græcæ dignitatem, ne-
cessitatem, ac vtilitatem, necessitati inclusam, conside-
rantes Imperatores augustissimi Scholis et Academijs,
præcipuè autem Parisiensi mandârunt, vt inter studia
linguarum Græcæ quoq; literæ diligenter tractarentur
atq; excolerentur, quòd viderent vnà cum linguarum
probè excultarum studijs puriorem Euangelyj doctri-
nam in lucem produci, iisdem verò neglectis eandem
prioribus iterum tenebris inuolui. Ac propterea omni
laude decorandus est Gregorius Tifernates, qui licet
non vocatus, à Senatu tamen Parisiensi stipendium fla-
gitauit Græco Professori persoluendum, defendens se
aduersus calumniatores prædicta constitutione, qua in
Senatu frequenti prolata, omnes in eam sententiam, vt
stipendium ipsi numerare-ur, descenderunt.

Satis opinor, Auditores optimi, de Græcæ linguæ
dignitate, necessitate ac huic inclusis vtilitatibus ver-
borum me fecisse: industriæ meæ pollicitationem quod
attinet, non is sum, qui de se multa vobis polliceri vel

D 2

possit

possit vel debeat : imbecillitatis enim humane nature
sum soboles & institutione alumnus. Quæ verò cum in
alijs quibus honesti labores demandantur : tum verò &
maximè quidem in docentibus requiri solent; rectæ vi-
delicet voluntatis conscientia, artis quam profiteri de-
bent, mediocris peritia, & deniq; diligentia operis effe-
ctrix, ea, inquã, à me quoq; requiri probè intelligo. Sed
non minus hominum rectè iudicantium candorem &
æquas censuras hinc requiri persuasum est mihi. Atq; ut
hoc de me profitear, rectè docendi studium, rectaq; vo-
luntas nunquam defuit, conatus verò meos vobis pro-
batum iri ut sperem vestra facit humanitas. Studium
ergo nostrum in exantlandis etiam difficilimis labori-
bus nunquam defugiemus : nec fortasse vos etiam na-
uata operæ pœnitebit. Quæ cum ita sint, Iuvenes orna-
tissimi, dubium mihi non est, fore, ut & vos ametis lin-
guam hanc optimam, necessariam, vtilissimam, admire-
mini verò & magnificiatis hæc studia : admirari pro-
fectò, amare, & magnificere debetis omnes. Quibus
enim rebus vera eruditio constat, iudicio limato ac poli-
to de rebus grauissimis, ac eleganti & diserta oratione,
earum omnium refertissimum κειμήλιον habituri estis
Græcarum literarum monumenta. Inter hæc cum alijs
eminent summi illius Demosthenis, facile primas apud
Græcos tenentis opera, ex quib. duas orationes contra-
rias de corona separatim excusas, hoc loco vobis, Deo
volente,

volente explicaturus sum, ea spe, vos mirifico Græcarum literarum studio flagrantes cupidè summos Oratores, de rebus grauiſſimis orationibus eloquentiſſimis, ſplendidiſſimis & grauiſſimis diſceptantes audituros eſſe. Hæ enim orationes improborum ciuium pernitioſas, & bonorum honeſtas voluntates ita depingunt & exprimunt, vt nullius faciem imitari propius Apelles potuerit. Quare ita ſtatuetis de his duabus orationibus, abſolutiſſima quædam exempla in illuſtri ſita loco, nobis oſtendi, quæ communeſ faciant, quid in communibus moribus mereatur laudem, aut reprehensionem. Nam in inſectando Demoſthene, veram quandã imaginem ſceleratæ mentis fingit Æſchines. Contra ille, cum voluntatem optimi ciuis negat ſibi deſuiſſe vnquam, boni viri, vt D. Philippus ſentit, ſimulacrũ ſculpere videtur. Explicantur prætereà multa maiorum inſtituta, leges ac mores, multa exempla obiter cauſæ in his orationibus aſperſa inuenies. Eſt enim ſonus forenſis huius dictionis, claſſico ſimilis, & plenior aliquantò, quàm hiſtoria. Deniq; videntur hîc omnes Reipub. gerendæ rationes meliùs tradi, quàm in vllis Philoſophorum diſputationibus. Quid autem de eloquentia horum dicam? Nam hæc præcipua laus eſt harum orationum. Equidem inſaniam, ſi meo teſtimonio, meaq; voce accedere aliquid illorum laudibus exiſtitem. Quare præconio Ciceronis contenti erimus, qui

cum Æschinẽ amplissimis laudibus ornat, tamen in
Demosthenica oratione tantam eloquentiam esse iudi-
cat, quanta includi in animis hominum possit. Quare cū
hæ orationes & ad animi iudicium formandum, & ad
locupletandā facultatem dicendi faciant, vos literis de-
ditos adolescentes iuvenesq; cultioris ac politioris litera-
turæ studiosos, vt diligenter has orationes cognoscatis
hortor. Idq; eò magis, quod nō mediocris sit ingenij pru-
dentissimorum Oratorū consilia, virtutesq; in oratione
perspicere, nec vulgaris artificis diuinas illorum senten-
tias Latinis verbis representare, & tanquam imaginẽ
aliquam Græcæ orationis exhibere, nec cuiusuis sine
Græcarum historiarum cognitione, sine scientia legum
& morum Atticorum causam ipsam assequi, & quòd
in alijs artibus et literis tractatione ac studijs hominum
multa è tenebris in lucem eruta sint, Græca qui exco-
lerent & illustrarent, per pauci, adeò vt mira commen-
tariorum inopia laboremus. Quas difficultates si non
tollere, tamen leuare enitar, id vnice daturus, diuino fa-
uente Numine, operam, vt & Senatus Academicus
laudatiss. industriam meam qualemcunq; probet, amet,
complectatur, & studiosissima bonarum artium iuuen-
tus meis Demosthenicis lucubrationibus Demo-
sthenico more ac studio collectis fruatur,
vtatur saluberrimè.

Dixi, audistis, habetis, indicate.



154886

AB 154886

ULB Halle


3


003 009 254



fu







75

Orationes duæ

M. IOACHIMI
GARCAEI BRANDEN-
BURGENSIS MARCHICI,

VNA

De anno imperiorum periodico, in Academica Philosophicæ festiuitatis Panegyri, cum Collegij Philosophici in Academia Francofordiana Decanus & Procancellarius viris aliquot reuerendis ac doctissimis, iuuenibusq̃ nonnullis ornatissimis Magisterij gradum Idib. Aprilis tribueret.

ALTERA

De Græcæ linguæ dignitate, necessitate ac utilitate, cum eiusdem linguæ à Senatu eiusdem Academiae laudatissimo Professor publicus designatus esset, 5. Cal. Iul. anni huius 1591. habitæ.



*Francofordiæ ad Oderam exprimebat Andreas
Eichorn, Anno 1591.*